

lo relati confitadi Concessere posse Deum in tempore mutare divina decreta, itaut vellet in tempore, quod ab aeterno noluit, & e contra; Neque desunt ex nostris, qui hanc opinionem probabilem censent, ut Delphynus opusc. de futuro eventum, & Lichet. d. 2. q. 2. s. *istis ergo*, ubi ait, non habet pro inconvenienti voluntatem divinam posse velle aliquid de novo sine sui mutatione &c. Fundamentum eorum est, quia ex hoc nulla sequitur in Deo physica mutatio, ut valide propositum argumentum evincit, non enim ex alio capite sequi possit in Deo mutatio physica, nisi quia decreta liberum superaddit actui necessario divinae voluntatis aliquam perfectionem, quae de novo adveniens tam intrinseca, & physice mutaret, dum acquireret aliquid, quod prius non habebat; Nec etiam sequitur mutatio moralis cum aliqua imperfectione, talis namque mutatio tunc imperfecta censetur, cum sit per transitum unius actus in alium, quod non contingit in proposito; hic namque supponimus transitum huiusmodi fieri uno, eodemque actu, quo Deus sine ulla intrinseca sui mutatione, sed tantum per extrinsecam in objecto volito modo velit hoc, modo oppositum; Tum quia talis mutatio moralis in Deo ex hypothesi non argueret in eo animi inconstantiam, & imperfectum se gerendi modum in suis decretis, ut in nobis evenire solet quia si Deus potest incipere velle in tempore absque mutatione intrinseca sui per locum extrinsecam objecti, non potest efficaciter probari vitium inconstantiae in Deo in praedicta voluntate, cum ipse sit Dominus omnium, & possit operari, aut non operari propter hanc, vel illam causam, ut liber; unde remanet, quod talis mutatio moralis, scilicet divinorum decretorum sequatur in Deo absque ulla prorsus imperfectione admixta, atque ideò Deo repugnare non videtur.

194 Deinde quia hoc dicendo melius, & longè facilius servatur divina, & humana libertas in agendo; divina quidem, quia illa censetur decernere aliquid cum omnimoda, & plenissima libertate, qui non solum ita decernit, ut potuerit non decernere, ut dicere de Deo solemus, sed qui ita decernit, quod habet in manu sua revocare decretum factum, cum sibi placuerit; ergo ut Deo plenariam libertatem tribuamus in agendo, hoc secundo quoque modo in suis decretis liber poni debet; posse namque mutare decreta ex libertatis plenitudine contingit. Pariter melius, & facilius servatur humana libertas, quia si Deus in tempore revocare non potest quod ab aeterno decrevit oppositum faciendum, non videtur quomodo contingant in futurorum eventu salvari possit, & nosse libertatis usus in actibus nostris consistat; admisso namque Deum ab aeterno absolute decrevisse me eras lecturum certè, nec liberum, nec contingens mihi erit eras legere; Nec distinctiones (aut Delphynus) doctissimi motum virtutum de necessitate consequentiae, & consequentis; suppositionis, & absolutae; immutabilitatis, ac inevitabilitatis; de sensu diviso, & composito; de determinatione, de inesse, & de possibili turbatos animos placant, quietantque, imo potius magis perplexos relinquunt, ostendunt enim in voluntate nostra reperiri tantum libertatem potentiae, non usum libertatis; idem tenet Pennotus in suo Propugnaculo lib. 4. cap. 24. pro qua etiam opinione Vulpes disp. 33. tom. 1. p. 1. a. 5. cit. Bassol. p. d. 45. sed perperam, quia ibi q. 2. a. 3. docet oppositum.

195 Opposita tamen sententia communis est apud SS. Patres, & catholicos Doctores D. Thom. p. 1. q. 19. art. 7. D. Bon. 1. d. 45. art. 2. q. 2. Scot. ibidem, & d. 39. q. 3. & alios passim quibus jam recitata opinio non bene olet; Colligitur ex pluribus scripturae locis, quibus expressè docet Deum non mutari per mutationem voluntatis revocando semel à se statutum, atque decretum. *Ego Deus, & non mutor* Malach. 3. *Non est Deus, sicut homo ut mutetur* Num. 3. *multae cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini permanebit* Proverb. 19. quae scripturae loca, & similia ad hunc sensum interpretantur Patres quod Deus non sit mutabilis in suis decretis, atque ideò nedum sit physice immutabilis, ut art. praeced. sanctum est, sed etiam moraliter omnino in suis decretis hinc Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 3. jam semel statuit, quemadmodum feratur ordo universitatis, quam condidit, neque enim aliquid nova voluntate administrat. Quod autem interdum Scriptura significat, Deum poenitere illius, quod statuerat; ut habetur Genesis 6. *penitet me fecisse hominem* non proprie intelligi, sed metaphorice ratione facti, quatenus nimirum ita se gessit delendo hominem; ac si penituisse, quae est communis Patrum interpretatio in caput citatum Genesis. Quamvis autem res sit adeo certa, & explorata, non tamen facile est huiusmodi immutabilitatis divini decreti rationem reddere, quamplures enim adduci solent non convincentes,

quas hic examinate inutile non erit, ut inre tanti momenti solidam adveniatis rationem.

Prima est, quam assignat D. Thom. p. 1. quest. 19. artic. 7. duabus de causis ait contingit voluntatem mutari, prima est quia de novo incipit volenti aliquid esse bonum, quod ante non erat bonum, sicut in hieme incipit esse bonum sedere ad ignem, quod ante non erat, & ideò tunc homo vult sedere ad ignem, quod ante non volebat; altera, quia de novo aliquid cognoscitur, ut bonum, quod ante ignorabatur, & ideò nunc amatur, non autè; neutra verò causa locum habet respectu divinae voluntatis, quia nec Deus à rebus extrà se volitis quidpiam commodi recipit; nec de novo aliquid scire potest de earum malitia, vel bonitate, quod ante ignoraret, atque ideò remanet ut quicquid vult, vel non vult, hoc ab aeterno habet; nec possit aliquid in tempore velle, quod ab aeterno noluerit aut e contra. Hæc tamen ratio à Recentioribus Suarez loc. citat. Vasquez p. 1. quest. 19. in comment. illius art. 7. Valentia ibid. punct. 4. Smilinch. & alii passim notatur, ut insufficiens in assumpto; in quo non sufficienter enumerantur cause, propter quas accedit aliquid de novo incipere velle, quod volebat, aut e contra; potest enim id contingere etiam ob solam arbitrii libertatem, & praesertim in Deo, si aliud de divina voluntate non ostendatur immutabilis; sicut enim de facto ob eius libertatem decrevit hanc mundum creare, & non alium, cum tamen oppositum decreverit potuisset ab ipso aeternitatis instanti, & hanc partem contradictionis elegit, non quia ab hac parte aliquid commodi sentiret, vel alteram non cognoverit complexions partem sub ratione eligibilis, sed quia liber fuit in deterrimando; ita si nunc inciperet in tempore velle alium mundum creare, quod ab aeterno non voluit, non esset, quia ab altera contradictionis parte de alio scilicet mundo producendo aliquid commodi sentiret inciperet; at quoque hanc alteram partem antea ignoraret, quam nunc cognoscere incipiat; dici ergo potest ad rationem D. Thomae bonum semper eodem modo se habere respectu divinae voluntatis, & eodem modo semper à divino intellectu apprehendi, tamen per totam aeternitatem illud Deum non voluisse, sed incepisse velle in tempore nullam ob causam, nisi quia est prorsus liber ad volendum, vel non volendum; & sicut ab aeterno sine aliqua causa assignata in argumento potuit Deus velle aliquid ab extrà producere, & non velle producere; sic etiam modo restat assignanda causa, ob quam hoc in tempore facere non possit, ac proinde voluntatem mutare.

Respondet Nazarius p. 1. q. 19. art. 7. contrav. un. impossibile esse aliquid non velle, quod prius volebat, aut velle quod prius volebat perseverante in intellectu eodem iudicio circa objectum propositum, ad hoc enim necessarium omnino est novum intellectus iudicium. Verum hæc responsio falso nititur Thomistarum principio, quod radix intrinseca libertatis consistat in indifferentia iudicii, & non potius ipsius potentiae volitive, cuius falsitatem fuscè monstravimus disp. 7. de Anima qu. 3. art. 2. nam in ea potentia debet esse formaliter libertas, quæ est domina sui actus, & proximum principium actus liberi; hæc autem non est intellectus, sed voluntas; ergo adhuc perseverante eodem iudicio circa objectum propositum debet esse in potestate voluntatis illud eligere, vel non eligere; vide ibi dicta, & discussa contra hoc principium Thomisticum, cuius oppositum omnes Recentiores passim cum Scoto tuerentur.

Secunda ratio ab aliis adducta est, quia voluntas efficax debet impleri, non impletur autem si mutaretur in tempore, volendo oppositum eius, quod ab aeterno decretum fuit, ut per se notum est. Ceterum, neque hæc ratio urget, cum enim dicimus voluntatem Dei efficacem impleri debere, hoc intelligitur ex suppositione, quod ea volitio reverteatur usque ad eam temporis differentiam, in qua ponendum erat obiectum, si enim pro eo tunc non poneretur, hoc utique præiudicaret infinite virtuti, ac omnipotentiae Dei; verum si ponatur casus, quod ea volitio revocetur antè præiudicatum tempus, in quo debet poni effectus volitis ab aeterno, nullum inferret præiudicium omnipotentiae Dei, quia quod non sequatur effectus ille, referri nequit in defectum virtutis, aut omnipotentiae Dei, sed in eius libertatem, quia nempe ex sua libertate ipse mutavit propositum; quare si hæc mutatio in divina voluntate repugnat, aliud hæc probari debet, quam ex efficacia divinae voluntatis, quæ possumat impleri quodcumque eius decretum in aeternitate factum.

Tertia ratio pluribus communis deducitur, quia ex tali mutatione decreti sequitur immediata mutatio intrinseca,

& physica in Deo; probat hoc Ferrarientis 1. contra gentes cap. 87. quia si mutaretur decretum, desineret esse in Deo aliquis actus, qui antea erat, quod fieri non potest sine intrinseca mutatione ipsius. Deinde probat Vulpes tom. 1. disp. 33. art. 5. mutatio realis physica immediate sequitur in voluntate creata ex reali novitate volendi, tanquam ex causa proxima, sive praesens, volens verò volendi oritur ex dependentia eius essentiali in volendo ab objecto, quod de novo vult; ergo si Deus verè in tempore vellet, quod ab aeterno non voluit, cum vera novitate volendi illud vellet, atque ita in suo actu volendi essentialiter ab illo penderet, & consequenter intrinsece mutaretur; consequentia patet, quia in tali casu in modo volendi cum voluntate creata omnino conformaretur; probatur assumptum, ideò enim creata voluntas, cum aliquid de novo vult, mutatur, quia actus eius, quo vult, in ea objecto volito partialiter causatur de novo. Denique probari potest ex paritate scientiae visionis, quæ libera dicitur, quia si in tempore Deus aliquid sciret, quod ab aeterno non scivisset, necessarium esset ei ad aliquid scientiam realem, quia nihil scire potest, nisi per realem scientiam; sicut ergo si illum non habuisset ab aeterno, oportuisset in tempore addi, ita pariter dicendum esset de libera volitione, quod sine physica mutatione contingere non potest.

Ceterum nullam omnino sequi physicam mutationem in Deo admittit sententia vera, quam tenent Auctores isti, quod volitio libera nihil reale actui necessario divinae voluntatis superaddat, ultima obiectio posita in fine articuli praecedentis manifestè demonstrat; si enim ex mutatione decreti liberi in tempore sequeretur in Deo physica, & intrinseca mutatio, hoc ex alio capite provenire non potest, nisi quia potuit non esse in Deo, ut adest Cajet. nam ad oppositum, quod tale quidpiam non addat, statim deducitur ex mutatione decreti liberi nullam in Deo securam physicam mutationem; consequentia patet per locum topicum, quod in causis negativis sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negativis; Respondet Vulpes negando consequentiam, non enim asserit securam in Deo physicam mutationem ex mutatione decreti liberi, quia id à parte rei addat, quia à posteriori evidens signum esset, actum realem divinae voluntatis à rebus creatis essentialiter pendere, ab eisque causari, & specificari, sicut velle creatum. Contra, quia hic supponimus divinam voluntatem, si aliquid vellet in tempore de novo, quod ab aeterno non voluit, id non faceret necessitate, quasi tempus expectare debet, ac praesentiam objecti, quam antea non haberet, hoc enim utique evidens signum esset, quod à rebus creatis in sua operatione essentialiter dependere; sed dicimus, quod id faceret ex sua libertatis plenitudine, & pleno dominio, quod habet super suos actus ad extrà, id autem nullam argueret dependentiam in eius operatione ab objectis creatis, sed potius independentiam. Deinde nulli dubium est ex tali modo agendi, & mutatione decreti in tempore posse à posteriori mediare, & veluti per locum extrinsecum deduci physica, & realis mutatio in Deo, ut postea dicemus; sed dubium est, an possit deduci per locum intrinsecum, & immediatum; & dicimus quòd non, ob rationem allatam stance sententia, quòd decretum liberum nihil reale actui necessario superaddat, ut etiam tenet Repugnantia, cur magis hodie repugnet Deo habere, quod non haberet ab aeterno, quam habuisse ab aeterno id, quod non haberet in alio ordine rerum, si ab aeterno noluisse creare mundum; sed in hoc rerum ordine habet de facto aliquid ab aeterno, quod non habuisset in alio, & hoc absque ulla prorsus physica mutatione; ergo sine tali mutatione possit aliquid habere in tempore, quod non habuisset ab aeterno; ergo in nostra sententia, quòd decretum liberum nihil reale superaddat actui necessario, ex mutatione decreti nequit immediate, & per locum intrinsecum deduci in Deo physica mutatio.

Fortè dicit Vulpes nec aliter, nec alio modo à se deduci mutationem physicam in Deo ex mutatione decreti, nisi mediare, ac veluti per locum extrinsecum. Sed plane hoc dicere nequit cum veritate, nam ipse art. cit. num. 3. acriter reprehendit Suarez eo quòd tom. 2. Met. disp. 30. sec. 9. num. 58. dixerit ex variatione decreti in tempore facta contra commune Sanctorum, & Scholasticorum, non rectè inferri physicam mutationem, sed tantum quandam animi inconstantiam, & imprudentem modum se gerendi in suis decretis, quæ imperfectio non minus repugnat Deo, quam

physica mutatio; Atque Suarez ipse loc. cit. negat ex tali inconstantia mediare, & per locum extrinsecum deduci physicam mutationem, imò id expressè, & discretè verbis affirmat, negatque tantum posse deduci immediate, & per locum intrinsecum; ergo ingenuè Vulpes tamen tergiversationem adhibere non potest, nam tunc omnino immerito Suarez fugilasset.

Hinc facile occurrit rationibus in oppositum; ad primam Ferrarientis negatur consequentia, quia huiusmodi decreti divini mutatio non fieret per mutationem aliquam Deo intrinsecam, sed extrinsecam in objectis creatis; neque fieret per deflectionem unius actus, & inceptionem alterius, sed per terminationem novam ejusdem actus ad obiectum oppositum. Ad alteram Vulpes distingo assumptum, quando novitas volendi oritur ex dependentia voluntatis ab objecto, & ex indigentia praesentiae ejus, verum est; in tali enim casu voluntas non ex delectu, sed ex necessitate operatur cum novitate volendi; quando novitas volendi oritur ex plenitudine libertatis, & dominio, quod habet voluntas super suos actus, non autem ex dependentia ejus ab objecto, falsum est, quandoquidem tunc non ex necessitate operatur cum novitate volendi, sed ex mera libertate. Instat Vulpes: novitas volendi nequit sub libertate divinae voluntatis cadit infinita eius perfectio; ergo neque sub libertate ejus cadit novitas volendi; consequentia probatur, quia esse formale divinae voluntatis, ejusque actus operandi eadem duratione necessario durat; sed esse illius aeternitate durat; ergo etiam vitalis operatio, atque ideo operatio illius voluntatis circa obiectum secundarium necessarium est in aeternitate, licet productio in esse reali sit in tempore. Resp. in hoc argumento committi negationem, vel manifestam principii petitionem, cum antecedens, & consequens non differant, sed sint eadem propositio, scilicet quòd novitas volendi in Deo sub ejus libertate non cadat, dico igitur ad materiam argumenti, cum in forma manifestè peccet, quòd licet infinita Dei perfectio sub ejus libertate non cadat, hinc non sequitur, novitatem volendi sub ea non cadere, quia ex hypothesi, quòd decretum liberum nihil reale addat actui necessario, dicimus, talem novitatem nullam inferre præiudicium infinite Dei perfectioni; cum verò ait in probatione consequentiae, Deum non posse de novo aliquid velle, quia ejus operatio aeterna esset debet, totum concedo; sed tunc amplius probatur, quòd nequeat Deus velle aliquid de novo, ex ratione physicae immutabilitatis, ut probate tenetur arguens, sed ex ratione aeternitatis, ex cuius destructione in actu libero non sequitur immediata mutatio physica in Deo, & per locum intrinsecum, sed tantum mediare, & per locum extrinsecum.

Ad ultimam rationem negatur paritas de scientia visionis, & volitione libera; illa namque non est per se libera immediate circa futura, sicut volitio, quia visio non est futurorum causa, sed merus & necessarius eorum intuitus, quæ liberè sunt futura; undè si supponatur aliquid esse ab aeterno futurum, nec Deus ab aeterno videret illud, sed tantum in tempore, non posset hæc negatio videndi illud ab aeterno ferri in libertatem videndi, vel non videndi, quæ futura supponuntur, nam si obiectum supponatur feibile, & visibile, divinus intellectus necessario in illud ferret; atque ideò referenda esset in defectum alicujus realis perfectionis, quam divinus intellectus in aeternitate non habuit, sed tantum in tempore; ceterum divina voluntas est causa futurorum, quæ immediate potest velle, & non velle, atque idè si vellet in tempore, quod non voluit ab aeterno, non posset in ea immediate argui physica mutatio, sicut neque arguitur ab aeterno ex eo, quòd in hoc ordine rerum voluerit, quod in alio rerum ordine non voluisset, undè est manifesta disparitas inter scientiam visionis, & volitionem liberam, ut notavit quoque Suarez loc. cit. n. 35.

Quarta ratio: immutabilitatis divini decreti, quam etiam Smilinchius disp. 3. cit. num. 48. approbare videtur, deducitur à Vasquez q. 19. in comment. art. 7. ex impossibilitate objecti, ait ergo, divinam voluntatem mutari non posse in tempore, non quia adhuc sit necessaria mutatio intrinseca in Deo, sed quia quicquid esset futurum ab aeterno fuit futurum, & non potest in tempore incipere esse futurum, & quicquid non est futurum, ab aeterno est non futurum, neque in tempore potest incipere esse non futurum; ergo non potest Deus in tempore incipere velle id, quòd prius ab aeterno noluit, aut e contra, quia tunc inciperet in tempore aliquid esse futurum, vel non futurum, quòd repugnat; consequentia patet, assumptum probat ipse q. 14. art. 15. quia

quia omnis propositio de futuro aut est determinate vera, aut determinate falsa; & ideo omnis res, quae vere aliquo tempore futura est, ab aeterno futura est, & quae non est futura: ab aeterno non est futura. Respondeo, hanc rationem, si bene examinetur, principium petere perinde, ac si diceret, voluntatem divinam esse immutabilem, quia ipsa est immutabilis; ratio est, quia res futurae habent ab aeterno, quod sint futurae ex determinatione divinae voluntatis, & dicuntur immutabiliter, & immutabiliter futurae, quia divina voluntas supponitur immutabilis in suis decretis; quod si decretum Dei esset mutabile, quamvis ab aeterno positum esset, non esset absolute, & infallibiliter futurus effectus eius, sed ex hypothesi, quod non immutetur divina praedefinitio; neque hoc erit contra efficaciam divinae voluntatis, sed potius ex ea nascetur, quod mutato decreto cesset effectus; est ergo manifesta petitio principii immutabilitatem decreti probare ex immutabilitate objecti semel voluti; vel certe committitur circulus vitiosus probando immutabilitatem objecti ex immutabilitate divinae voluntatis, & rursus immutabilitatem huius ex infallibili futuritione objecti. Neque evadit difficultatem Smissin. loc. citat. dum ait terminationem divinae voluntatis, & eius terminationis immutabilitatem non esse idem secundum rationem, sed immutabilitatem esse quasi durationem, sive continuationem voluntatis in terminando; licet ergo terminatio divinae voluntatis sit prima ratio, & causa futuritionis objecti, continuationem tamen huiusmodi terminationis pro ratione habet ipsam objecti semel positi in esse futuri continuationem, sive immutabilitatem. Hoc, inquam, non juvat, si enim semel concedatur, determinationem divinae voluntatis esse rationem, & causam futuritionis objecti, consequenter etiam concedendum est, continuationem, sive persistentiam divini decreti esse causam continuationis, & persistentiam futuritionis in objecto; sicut enim est verum dicere objectum esse futurum, quia divina voluntas sic ab aeterno decrevit, ita verum est dicere objectum ideo in sua futuritione persistere, quia divina voluntas in suo decreto persistit; unde rursus sequitur, quod probando immutabilitatem futuritionis in objecto ex stabilitate, & persistentia divini decreti, & rursus immutabilitatem huius ex immutabilitate futuritionis objecti committitur circulus vitiosus.

Quinta ratio valde frequens apud Recentiores est non posse divina decreta mutari, non ob aliquam physicam Dei mutationem; sed moralem cum imperfectione, quia haec mutatio arguit instantaneam, quae etiam in homine prudenti censetur indigna, nisi nova ratio in contrarium urgens superveniat; cum ergo Deus ob infinitam ejus sapientiam videat ab aeterno rationes omnes volendi, & nolendi, si postquam semel aliquid prudenter voluit, & statuit, nolle postea idem, plane imprudens, & inconstans ostenderetur, quia absque ulla rationabili causa suum mutaret decretum, cum nulla de novo possit illi occurrere, quae praevia non fuerit; unde non est par ratio de Deo, & nobis, qui quoniam non omnia a principio praevidemus, decretum priuspositum rationabiliter mutare in melius; quam rationem vix prosecutur Suarez de num. 16. usque ad 60. Amicus tom. 1. disp. 6. sec. unum. 16. Pasol. in p. 1. to. 1. q. 19. art. 3. dub. 3. num. 72. Arriaga cit. disp. 29. sec. 1. Vulpes disp. 23. cit. art. 4. licet cum hac mutatione morali contendat fore quoque per se connexam physicam, & realem, utpote, quae ex ea immediate, & veluti per locum intrinsecum, ut supra videtur est referendo ejus opinionem, quod tamen alii Recentiores, & merito negant, asserentes mediate morali, ac veluti per locum extrinsecum ex tali mutatione morali in Deo physicam quoque inferri, quia voluntas inconstans, & improvida, sive imprudens non potest habere in se omnem realem volendi perfectionem; unde eo ipso, quod aliqua imperfectio moralis Deo conveniret destrueretur physice Deus; & in hoc sensu locuti sunt Sancti, & veteres Scholastici, quando dixerunt Deum physicam mutationem subiturum, si sua decreta mutaret; Et haec ratio valde mihi probabilis videtur, ut constat singulas refutando responsiones illorum, qui contendunt ex divinae voluntatis mutatione praevise sumpta nullam in ea sequi moralem imperfectionem; ut contendit Smissin. loc. cit. n. 47. & Nazarius p. 1. q. 19. art. 7. §. postremo notandum, Turrian. opus. 5. disp. 2. dub. 3. & alii nonnulli.

Respondent itaque isti, posse Deum in melius priorem actum mutare, cum non semper velit quod absolute melius est, vel saltem ad exercendam suam libertatem, & ex hoc capite nullum incurtere vitium inconstantiae, ac imprudentiae. Haec responsio pracluditur ex modo dictis, ideo

enim nos posuimus ab aeterno imprudentiae vitio actum in melius mutare, cum rationabilis causa superveniret, quae non fuit praevia, aut attentè considerata, quod in Deo contingere nequit, qui omnia, & singula ab aeterno praevideat; neque etiam ad evitandum inconstantiam, vel imprudentiam vitium solum libertatis exercitium est sufficiens, quia hoc cum regni prudentiae semper conjunctum esse debet, ne libertas prudentiae praedictum ferat.

Respondet Smissin. libertatem in isto casu non prejudicare prudentiae, prudentiam namque est recta ratio rerum agibilium, & prima regula rerum agibilium ad extra est divina voluntas, quae ex sui natura rectissima est, ac inobliquabilis; cum ergo Deus sit omnium Dominus, & quicquid agit ad extra, hoc faciat ex mera libertate, & absoluta potestate, ac dominio, quod habet in omnem creaturam, plane efficaciter probati non potest vitium inconstantiae, ac imprudentiae in Deo ex hoc, quod velit aliquid de novo in tempore, quod ab aeterno noluit, aut contra; tum etiam quia nec ad aliquam electionem sive ab initio faciendam, sive postquam facta est, non mutandum ullam habet per se obligationem; nec si mutare propositum, id faceret ex inordinata passione, sed ex mera libertate, & potestate sua absoluta, quae sub nullis cadit legibus circa agibilia ad extra.

Haec solutio, est quodam habet apparentiam, facile tamen rejicitur, si enim Deus ab aeterno per infinitam sapientiam suam novit quicquid ab aeterno velle potest, & omnes rationes, connexiones, ac totam aeternitatem; plane a defectu prudentiae, & providentiae, excusari non possit, etenim etiam in nobis suspensio voluntatis circa objectum sufficienter propositum, & optime cum fideratum cum omnibus circumstantiis, ita ut nec habeat velle, nec nolle, videtur esse aliqua imperfectio, & debite diligentiae defectus; cur enim caretis utroque actu, si salva omnino libertate potest esse determinata ad habendum pro libito alterum ipsorum; neque sufficiens causa talis suspensionis potest esse sola libertas, ut contendit Poncius disp. 6. q. 2. n. 12. quia libertas facit quidem, ut liberè velit, vel nolit, non tamen esse potest praesertim in Deo causa negligentiae, incuriae, vel morae, ut differat in tempore volendum, quod aequè bene, & liberè poterat ab aeterno velle; etenim non velle tunc, cum sunt omnia ad volendum requisita, est defectus diligentiae; & providentiae, sic etiam pariter ad constantiam, & perseverantiam virtutum spectat, quod semel sapientissime voluit Deus ab aeterno, semper deinde velit, & quod semel noluit, semper nolle, etenim in nobis mutare propositum in melius, vel aequè bonum non est perfectio simpliciter, sed perfectio suppletis imperfectionem, seu imperfectioni commixta, quatenus supponit imperfectionem in intellectu, qui non ab initio voluntati plenè representavit omnes rationes volendi, & nolendi, quod in Deo locum habere non potest, unde Deus ad non mutandum propositum obligatur ex perfectissimo modo volendi suae voluntatis, & perfectissimo modo proponendi omnes rationes volendi, & nolendi divini intellectus, quae dicit potest lex, & obligatio naturalis, & haec est ratio quam Scotus adducit l. d. 45. quaest. unic. ad hoc idem probandum, quod scilicet quaecumque Deus voluit ab aeterno voluit, nec aliquid de novo velle potest in tempore, quia omnis potentia operativa, inquit, perfecta potest esse principium perfectè operandi circa quodcumque objectum naturae respiciat tali potentia, sicut perfectus intellectus potest esse principium perfectè intelligendi quodcumque intelligibile; cum ergo sit in Deo perfectissimus intellectus voluntati ab aeterno representans rationes omnes volendi, & nolendi, ac etiam perfectissima voluntas infinite provida; atque sollicita circa res futuras, utique circa talia objecta perfectissimè operabitur, hoc autem non esset, si per totam aeternitatem actum positum suspenderet, etenim voluntatem velle, ac operari est aliqua perfectio, cum ceteris paribus melius sit agere, quam non agere, neque si ita vellet aliquid ab aeterno, ut in tempore propositum mutaret, quia si sapientissime semel voluit, nec nova ratio melius agendi suppetere potest in tempore, quam ab aeterno non praeviderit, nulla est rationabilis causa, quae decretum jam factum rescindat. Neque rursus ad volendi libertatem recurrit; quia perfecta libertas non consistit in omissione, ac dilatione volendi, aut in revocando, quod sapientissime semel voluit est, hoc enim imperfectionem importat voluntatis creatae propriae, sed solum in indifferentia volendi utrumlibet ex oppositis, & tunc primum, cum fuerint sufficienter ab intellectu proposita, ne volun-

tas otiosa; ac negligens censetur in sua operatione; manet ergo non posse Deum sua decreta mutare sine mutatione morali maxime imperfectionem semper fecente; quando vero Doctores loc. cit. & q. 16. significat ex variatione decreti futurum in Deo nedum moralem, sed physicam quoque mutationem, intelligendus est sensu jam explicato, quod sequatur mediate tantum, ac veluti per locum extrinsecum.

Sexta ratio adducitur ab Arriaga. disp. 29. cit. num. 23. Voluntatis divina non potest purè omittitur liberè; ergo necessario debuit Deus ab aeterno se determinare, cum ab aeterno fuerit liber; probatur assumptum perfectior est modus exercendi libertatem per positivum actum, quam per puram omissionem, ut constat ex discursu facto in praecedenti ratione; ergo debet Deo tribui hic libertatis modus. Dices inter actus liberos Deum non tenere ab imperfectione, seu circa perfectiora objecta, non enim tenetur magis velle incarnationem, quam oppositum, ergo neque tenebitur ad perfectiorem modum exercendi suam libertatem. Negat pariter Arriaga, nam si Deus teneretur ad perfectiores actus, nullum ei relinqueretur dominium circa creaturas, quod esset destruere linam ex maximis Dei perfectionibus; at ex eo quod teneatur Deus eos actus liberos habere ab aeterno, ut per eos modo perfectior suam libertatem exerceat, nihil plane patitur dominium ipsius in creaturas, nec ulla alia perfectio Dei.

Haec tamen ratio licet optime probeat non potuisse divinam voluntatem suscipere manere per totam aeternitatem, sed debuisse habere totum suae libertatis exercitium positivum, nec posse absolute incipere velle de novo in tempore, nihilominus non probat, quod nequeat velle in tempore, quod ab aeterno noluit, aut contra; quia hinc non sequitur divinam voluntatem nec ab aeterno, nec in tempore se unquam habere merè omnivè, vel suspensivè, cum ponatur se exercere actibus contrariis nempe volendi in tempore, quod noluit ab aeterno, aut est contra; adhuc tamen ex eodem medio probari potest etiam hoc aliud punctum, quia si Deo tribui debet perfectior modus exercendi suam libertatem, nedum sequitur non posse absolute Deum incipere velle de novo in tempore, ita ut suspensus maneat per totam aeternitatem; sed etiam sequitur non posse in tempore velle, quod ab aeterno noluit, vel est contra, cum hic non sic imperfectior modus exercendi libertatem, quam ille, quandoquidem in Deo ad constantiam virtutum spectat, ut quod semel sapientissime voluit, cum infinita comprehensione objecti voluit, & omnium rationum, & circumstantiarum, & connexionum, semper velle perseveret, & quod semper eodem modo noluit, semper nolit, ut in praecedenti ratione deduxi.

Septima ratio deducitur ex divina praesentia, etenim ad ejus plenitudinem spectat, ut intellectus divinus omnia futura contingentia noscat; sed hoc non esset, si decreta divinae voluntatis mutari possent; modo enim novit alium mundum non futurum, quia divina voluntas decrevit eum non fore; si vero ponatur Deum hunc velle de novo alium mundum fore, hoc utique divinus intellectus ab aeterno non novit, non enim futura contingentia cognoscit, nisi per decretum divinae voluntatis, & cum nullum extiterit decretum ab aeterno producendum alium mundum, plane tale futurum in tempore decedendum divinum intellectum ab aeterno latuisset; ergo non potest mutari divina voluntas, neque de novo incipere velle in tempore, quia Deus non est omnisciens. Haec tamen ratio non concludit, quia ad infinitatem divini intellectus spectat scire, quicquid est scibile & cognoscibile; futurum autem, ut sic; non est objectum, scibile, nisi ex decreto divinae voluntatis, à quo praesertim accipit futuritionem, & scibilitatem in esse futuri; quare cum ab aeterno non extiterit decretum alterius mundi producendi, nullum est interveniens, quod intellectus divinus non agnovisset tale futurum ab aeterno, quia sicut ab aeterno non habuit esse futurum, sed tantum in tempore, ita neque habuit esse scibile in ratione futuri nisi in tempore; bene appurandum est, quod factum decretum in tempore de alio mundo producendo, intellectus divinus alium mundum futurum non agnosceret, quia tunc incipit esse objectum scibile spectans ad scientiam visionis, unde si tale quoque futurum non attingeret, plane omnisciens non esset, quia omne scibile non comprehenderet.

Octava tandem ratio deducitur ex duratione actuum divinatorum; esse formale divinae voluntatis, eiusque actus operandi eadem duratione necessario durant, sed esse illius aeternitate durat; ergo etiam eius libera volitio, minor patet, probatur maior, nam quae sunt realiter identificata

eadem duratione necessario durant, & ratione realis identitatis debent simul incipere, & simul desinere, si sunt corruptibilia, vel in aeternum durate, si incorruptibilia; & hanc rationem significavit Doctor l. d. 39. infra L. dum ait operationem divinae voluntatis ad extra esse necessarium in aeternitate, licet productio rerum sit tantum in tempore. Haec enim ratio videtur facile solvi posse dicendo, quod mutatio divini decreti non fieret per mutationem actus, sed per variationem tendentiae ipsius actus, unde licet entitas intinseca actus aeternitate duret, sicut ipsa voluntas, non tamen ita necessario durat ejus tendentia. Sed contra hanc responsionem recurrit difficultas posita n. 36. tunc enim quaeritur, num hac tendentia in actu sit aliquid reale, vel rationis, & si reale, num se tenens ex parte Dei, vel creaturae &c. Verum cum dictum sit n. 181. & 189. libertatem divinae volitionis etiam in actu secundo consistere in indifferentia activa, quam habet voluntas ad tendendum, vel non tendendum ad extra, etiam quando actu transit super objectum, ut actu etiam, ut actu tendens, est prior ipsa actuali tendentia, ut actu primus prior semper natura est actu secundo, etiam quando actualiter est sub illo, dicendum est volitionem etiam, ut liberam, idest cum tali in differentia conceptam debere aeternitate durare, sicut durat ipsa voluntas, cum hoc totum sit Deo intrinsecum; quare si ea indifferentia semel ab aeterno est ad aliquid extrinsecum objectum determinata per actum tendentiam in illud, necesse est, ut ab aeterno in aeternum duret, ita ut desinere nequeat nec per cessationem ab actu, nec per successionem tendentiae in oppositum; conclusio itaque hanc immutabilitatem divini decreti, non esse merè creditam, ut putavit Smissin. disp. 3. cit. n. 48. in fine, sed licet probari saltem à posteriori per rationem quintam, sextam, & octavam.

ARTICULUS QUINTUS.

Objectiones evaduntur.

In oppositum. Primo obstat fundamentum Adversariorum ab initio articuli relatum n. 193. quod ex mutatione divini decreti nulla sequitur in Deo physica mutatio, nec moraliter cum imperfectione. Porro satis constat ex dictis num. 204. in quinta ratione utrumque falsum esse, siquidem ex mutatione divini decreti sequitur in Deo immediate, & per locum intrinsecum mutatio moraliter cum imperfectione maxima, ac Deo repugnante, & ex hac postea mediate, ac veluti per locum extrinsecum sequitur etiam mutatio physica, & realis.

Secundo obicitur aliud fundamentum opinionis adversae positum n. 194. quod cum mutatione divini decreti longè melius salvatur, & divina, & humana libertas. Verum utrumque horum etiam falsum est; quomodo enim cum aeterno Dei decreto cohaereat nostrum libertas actionum in tempore inferioris suo loco declarabimus, ubi ostendemus decretum, quo statuit ab aeterno v.g. me cras lecturum, non esse suppositionem antecedentem, sed consequentem, ac omnino concomitantem libertati voluntatis creatae determinationem ob virtuale, & eminentialem nostrae voluntatis continentiam in voluntate divina, atque ideo per eam optime salvati nedum libertatem potentiae, sed etiam usum libertatis in nobis. Falsum insuper est cum immutabilitate divini decreti non cohaerere plenam libertatem divinae voluntatis ad extra ex hoc solo, quod ita ab aeterno decreverit aliquid esse futurum, in eodem instanti disjunctim potuerit quoque oppositum decernere, ita ut haberet simul tantam potentiam, non vero potentiam simulatam, ut loquitur Doctor l. d. 39. cit. neque enim ad divinam libertatem salvandam exigitur alterius, quod sit in manu sua revocare decretum antea factum volendo de novo, quod noluit ab aeterno, vel est contra; minimè gentium, quandoquidem non qualemcumque Deo libertatem tribuere debemus, qualem in nobis expectamus; sed perfectissimam libertatem praesertim omnium imperfectione; sed perfectissimam libertatem in nobis, quod ita simul libet in nostris decretis, ut ea evocate valeamus, vel enim indicat levitatem, & inconstantiam voluntatis humanae, vel saltem defectum sufficientis considerationis in intellectu, qui ab initio voluntati non proposuit exactè omnes, & singulas volendi, vel nolendi rationes, quorum utrumque Deo repugnat; atque ideo dignè ac sufficienter servatur divina libertas, & plenissima potestas super suos actus ad extra ex hoc praesertim, quod ab aeterno ita mundus decreverit futurum, ut oppositum statueret potuerit, haec enim praesertim indifferentia ad utrum-

libet est de essentiali conceptu libertatis ut sic, ad creatam, & incretam absque ulla imperfectione admixta; Et hoc est, quod prægnantibus verbis docet Scot. 1. d. 39. lit. E. cum inquit quod libertatem nostram voluntatis ad opposita objecta concomitantur duplex potentia ad opposita (non quidem ad opposita simul, quia hoc evidenter repugnat) una manifestata, & altera potentia ad velle post non velle, sive ad successione oppositorum actuum pro diversis instantibus; alia vero non est ita manifestata ad opposita pro eodem instanti, non quidem conjunctim, sed distinctim absque omni successione, quatenus in eodem instanti, quo vult ali-quod objectum, est etiam indifferens activè ad oppositum, quia etiam in eo, quo operatur, instanti non operatur ut determinata ad unum alioquin esset naturalis causa; non libera, & indifferens ad agendum, & non agendum, & in hac indifferencia activa consistit conceptus essentialis libertatis, ut communis est creatæ, & incretæ; potentia enim illa prior ad opposita successivè convenit voluntati nostræ, quatenus creata est, ac finita.

217 Tercio obicit Lichetus 2. d. 1. q. 1. §. primo ergo Doct. 1. d. 39. dicit, quod licet voluntas divina contingenter vult Franciscum v. g. fore, ita stat semper in tali contingencia; nam in eodem instanti, quo dicit actum, potest non elicere, quia semper voluntas divina etiam quando actum elicit, intelligitur prior ipso actu; & quia semper elicit, ideo semper intelligitur sic prior; quod potest non elicere, & si sic videtur, quod potest velle oppositum, & si ponatur in esse, quod vult oppositum, tunc sequitur, quod velle potest de novo. Tum, 1. quia Scot. 1. d. 40. & communiter concedunt Doctores, quod prædestinatus potest damnari in sensu diviso, cuius sensus est, quod ille, qui nunc est prædestinatus, potest damnari crassa Deo per oppositam volitionem. Tum 3. nam Doct. 1. d. 44. & 2. d. 7. ait quod Deum facere aliquid de potentia absoluta est facere contra legem prius determinatam; hoc autem fieri nequit nisi volendo in tempore oppositum, & si ponatur in esse, quod vult oppositum, tunc sequitur, quod velle potest de novo. Tum 4. si Deus non posset in tempore oppositum eius facere, quod ab æterno statuerat; ergo non poterit modo facere, quod Antichristus non fit, licet ab æterno id potuisset facere, quod videtur inconveniens.

218 Resp. solutionem dubij consistere in recta intelligentia illius propositionis, voluntas divina eodem instanti, quo elicit actum, potest non elicere, vel enim facit sensum compositionis cum duobus oppositis, ita ut facta suppositione, & veritate unius oppositi, & in illo instante aliud oppositum simul verificetur, & in hoc sensu falsa est, quia ut ait Doct. citat. explicans illam potentiam manifestatam voluntatis ad opposita pro eodem instanti, non est possibilis potentia ad duo contradictoria simul, vel facit compositionem unius oppositi solum cum potestate ad faciendum alterum, & in hoc sensu vera est illa propositio in ordine ad idem instanti; cum autem hinc inferatur, ponatur in esse (quod vult oppositum) tunc sequitur, quod velle potest de novo; negatur consequentia, tunc enim non amplius consideratur divina voluntas in eodem instanti in ordine ad opposita distinctim, sed ad opposita successivè pro diversis instantibus ita ut vel unum oppositorum post volitionem alterius, quam potentiam negat expressè Doct. in voluntate divina, quia hæc dicit imperfectionem. Ad 2. sensus illius propositionis prædestinatus potest damnari in sensu diviso optime declarat ut Doct. loc. cit. 1. d. 40. tam realiter, quam logicè juxta doctrinam, quæ de libertate divinæ voluntatis tradiderat 1. d. 39. ait itaque quod Deus contingenter prædestinat illum, quem prædestinat, & potest non prædestinare non simul ambo opposita, nec successivè, sed utrumque divinum in instanti æternitatis, quantum autem ad Logicam propositio proposita distinguenda est secundum compositionem, & divisionem, & in sensu divisionis sunt duæ categoriæ, & enunciativæ de persona aliqua beatificabili una categorica esse prædestinatum, & in alia posse damnari, & illa duo sunt vera de eodem subiecto, nec ita vera, quod simul esse possint opposita, nec etiam quod unum possit succedere alteri, volitio in æternitate est utrumque, sed vera simul in quantum volitio divina consideratur, ut prior naturaliter transit ipsius super illud objectum, quod est gloria isti; & in illo priori naturaliter non repugnat sibi esse oppositi objecti imò potest æqualiter esse oppositi, licet non simul amborum; ita Doct. loc. cit. ex quo constat sensum illius propositionis non esse, quem assignat Lichetus, sed omnino oppositum.

219 Ad 3. non bene explicat Lichetus, & præsertim ad mentem Doct. loc. cit. quid sit Deum agere de potentia ordi-

naria, & absoluta; nam ex Doctore ibidem tunc dicitur Deus operari secundum potentiam ordinariam, quando agit juxta leges universales jam ab ipso latas tam in ordine nature, quam gratia; ut v. g. quod vult concurrere cum omnibus causis secundis ad eam effectus, quod omnes homines ab Adam pro naturali propagatione descendentes originali culpæ sint obnoxii; & similes; tunc vero dicitur agere de potentia absoluta, quando in quibusdam casibus specialibus operatur contra, vel præter illas leges; ut cum in ordine gratiæ B. Virginem Deiparam ab originali culpa præservavit, ut notat Doct. 4. d. 3. q. 1. in ordine nature subtaxit generalem concursum igni Babylonico, ne pueros combuteret Dan. 3. qui alias debitus erat secundum legem communem; & quidem in his casibus non dicitur Deus revocare in tempore decretum aliquod ab æterno factum; quia cum ab æterno leges universales tam in ordine nature, quam gratiæ præfixit, ita ut pariter in quibusdam casibus specialibus nonnulla decreta, & judicia particularia præter vel contra illas leges, juxta quæ operatur in tempore, unde non sequitur unquam, quod in tempore aliquid velit, quod ab æterno noluerit, aut e contra; interdu etiam per potentiam ordinariam intelligitur decretum, quod statuit ab æterno, & per absolutum decretum oppositum, quod in eodem instanti statueret poterat in eodem æternitatis instanti ob eius libertatem ad utrumlibet.

Ad 4. occasione illius argumenti disputant Recentiores p. 1. q. 19. art. 7. an postquam Deus decrevit aliquid fore, habeat potentiam physicam, & realem, ut illud non fit, & Cajet. ibi inquit non manere potentiam physicam, quia non manet potentia ad contrarium actum, manere tamen potentiam Logicam, quia ex natura rei absolute non repugnat Deum velle, & non velle; Sed alii Recentiores ibidem concedunt medium manere potentiam logicam, sed etiam physicam, & realem cum Scot. 1. d. 39. §. quantum ad 2. art. quia potentia Dei non destruitur proprio actu, si eus ergo potentia, quæ producit effectum dicitur manere, ita quoque potentia Dei, ita Vasquez, Zmel, Turrian. & alii ibid. & ita sanè dicendum est, potest enim Deus efficere, quidquid absolute, & secundum se possibile est, & si ex parte creaturæ est potentia, ut fiat, etiam ex parte creatoris potentia activa vera, & realis ad talem effectum correspondere debet; sed Antichristus non esse etiam factum, decreto de ejus futuione est simpliciter, & absolute possibile; ergo in Deo est vera potentia, ut non fit Antichristus modo; major patet quia rei impossibilitatis nunquam ex parte Dei finitur, sed ex parte rei, probatur minor, cum enim Antichristus modo pendat in futurum, tam esse illius, quam non esse habet rationem possibilem, alioquin non esset futurum contingens, sed simpliciter necessarium. Nihilominus est habere Deus potentiam oppositam faciendi, quod statuerat; nunquam tamen oppositum aut faciet, aut decernet, aut volet, quia id contingere non potest absque intrinseca mutatione divinæ voluntatis, ut hætenus probatum est, neque hoc præjudicat divinæ libertati, quia ut dictum est ex Scot. 1. d. 39. libertas perfecta, & ab omni imperfectione sejuncta non consistit in potentia ad opposita successivè, & pro diversis instantibus, sed ad opposita pro eodem instanti distinctim, & ideo hæc tantum est Deo tribuenda; est enim Theologorum regula, quod Deo tribuenda sunt omnia, quæ sunt ex suo conceptu perfectiora, si aliunde non opponatur alteri divinæ perfectioni; ista autem libertas opposita successivè, quam nuncit Lichet. in divinis invenire, opponitur divinæ immutabilitati, vel saltem virtuti constantiæ, quam Deus ex sua infinita perfectione tenetur habere non recedendo ab eo, quod semel & liberè, & sapientissimè decrevit.

Quarto obicitur ex scripturis, ubi interdum dicitur Deus penitere facti, quod esse nequit sine mutatione voluntatis & Deus aliquando prædixit aliqua eventura, quæ tamen non evenerunt, ut constat de subversione Ninive Jon. 3. & morte Ezechie 4. Regum, ex quo videtur colligi mutatio decreti. Sed jam constat ex dictis num. 197. Deum non desistere penitere propriè, sed metaphorice, quatenus destruit factum ad modum penitentis, quo pacto hominem delevit quem creaverat, & regnum abtulit à Saule; furta vero non eodem modo prædicte Deus, quedam enim prædicte ut absolute futura, & quedam sub conditione tantum, aut solum secundum communem cursum causatum naturalium, & quodlibet decretum juxta suam conditionem, ac naturam immutabile manet, & vera predictio; quod si interdum predictio non impletur, signum est decretum non fuisse omnino absolutum, sed conditionatum, & quia con-

condicio non est posita, futura quoque ab ea dependens non est in esse oppositum.

Quinto obicitur, si actus illi existent ab æterno; ergo non sunt liberi; patet consequentia, nam nullum est instanti reale; in quo primo incipiant; ergo nullum erit instanti in quo sint liberi, patet sequela, quia si semper antè & consequenter nunquam liberi, quia nunquam ita haberentur à Deo, ut poterint non haberi, hoc enim potuit solum contingere in primo instanti, nam in secundo instanti non possunt non haberi, primum autem instanti non est in æternitate. Confirm. ex suppositione, quod Deus aliquid voluerit ab æterno, sequitur hodie non posse à volitione cessare, & consequenter hodie non vult libere.

216 Respon. hoc argumentum etiam eos urgere qui contendunt posse Deum in tempore nolle, quod ab æterno voluit, aut e contra, nam tali volitio in æternitate præcedens non erit libera ex vi argumenti, sed sola volitio in tempore incipiens; itaque negatur consequentia utraque; sicut enim potuit liberè à Deo produci ab æterno creatura saltem permanens ex dictis disp. 14. Phys. est nequeat assignari primum instanti, ante quod non supponatur liberè existens, ita in proposito dicendum de actibus Dei liberis, etenim in his, quæ ab æterno esse supponuntur, non est querendum principium durationis; unde negatur etiam probatio tota secunda consequentia, quia tales actus liberi in Deo fuerint semper ante quodcumque instanti assignabile, & semper fuerit liberi, non quidem quoad existentiam, ac entitatem Deo intrinsecam, sed quoad terminationem ad secundaria objecta, & hoc modo fuere liberi in quocunque instanti assignabili, nam in quocunque instanti divina voluntas ita concipitur in objectum extra tendere, ut simul possit non tendere, loquendo de simulate potentia, non de potentia simulata, quia in quocunque instanti semper intelligitur operari, ut prior tali tendentia, in quo præcise ita est libertas operationis ejus. Ad confirm. pariter negatur utraque consequentia, nam etiam hodie simpliciter & absolute loquendo potest ab æterna volitione cessare, ac etiam oppositum decernere, in sensu tamen diviso, non composito, ut dictum est num. 214. cum enim ea suppositio non fit antecessens, sed omnino consequens, & in potestate volentis, nullatenus per eam impeditur libertas divinæ volitionis hodiè; sic ex hypothesi, quod heri decreverim continuare per totum hunc diem actum amoris in Deum, adhuc dicit hodiè liberè velle, & non necessario, quia ista necessitas non est antecessens, sed consequens; imò quantum ad id, quod perfectionem importat liberior est hodiè Deus in sua volitione, quam ego, quia in æternitate heri, & hodie non distinguuntur, sicut in tempore, cum importet æternitas unum, & indivisibile nunc semper permanens, & nunquam deficiens, unde in Deo idem est velle hodiè, ac heri, & mille annis elapsis, ideo divina volitio hodierna non tam ex suppositione, quam formaliter, dici debet libera, quia ejus libertas est ex suppositione præsentis, & non præteriti, quæ nullam profus tollit formalem libertatem nam omne quod est, quando est, necesse est esse.

217 Sexto tandem obicitur, quod de facto Deus voluntatem suam mutat, amat enim justum, dum est in gratia; cessat ab ejus amore, cum illum amittit, & incipit illum odisse, Resp. ex Scot. 4. d. 16. quest. 2. in corpore questionis divinam voluntatem in hujusmodi casibus nullum actum mutare, sed simul in Deo exiltere amorem, & odium illius hominis, licet pro diversis temporibus, ex qua diversitate omnis tollitur repugnantia, amorem quidem pro tempore quo fuit in gratia, odium vero pro tempore, in quo fuit peccator, At instat Arriag. disp. 29. cit. num. 4. in hac communi responsione maximam latere difficultatem, sequitur enim Deo tam nunc de facto displicere S. Petrum, quam dum fuit actu peccator, & per totam æternitatem Deum semper ejus futurum inimicum, quod valde durum videtur; probatur sequela, quia Deus non mutavit ullo modo suum actum, & consequenter, sicut illum odio inimicitie persecutus est, quando negavit Christum eo modo prosequeretur per totam æternitatem, quod enim jam S. Petrus non habet peccatum, tam parum immutat actus Dei, quam si adhuc esset in peccato; Conf. quia id videtur contra loca illa scripturæ, in quibus Deus dicitur amplius non recordatus iniquitatum, postquam justus egerit penitentiam, ibi enim significatur odium esse deponendum contra peccatorem penitentem; quomodo autem id verum esse potest, si Deus manet in eodem formalissimo actu odii erga illum, & perseverat in eo manens esse, cum actus ille sit æternus quoad

totam suam odii formalitatem. Responder Arriag. sequela illam sine absurdo concedendam esse, nam etiam in nobis hæc duo non repugnant, quod v. g. Petrum jam mihi infensus accepta satisfactione amem, & simul displiceat injuria, quam actu recordor anno præterito mihi intulisse, sed hæc pariter claudicare videtur, nam hodiè v. g. Deus non tantum displicet in peccato negationis, quod S. Petrus paritav olim fed etiam actu odii ipsum S. Petrum propter illud peccatum, quia actus ille etiam quantum ad ultimam formalitatem odii Petri perpetuus perseverat, nam talis formalitas cum ipsa actus entitate censetur identificata. Responder Arriag. quod licet tale odium actu maneat in Deo ob immutabilitatem Dei, tamen Petrus non est objectum hujusmodi actus pro hoc tempore, sed tantum pro præterito, in quo Christum negavit, tunc pro hoc tempore sic eum diligit, ac si illud odium etiam pro tempore præcedenti actu non esset, & potest dici veluti mortuum, & nihil omnino nocere, ac si non esset ac nunquam fuisset. Hæc tamen solutio tota in verbis consistit, nam si Deus actu retinet odium erga S. Petrum pro negatione præteriti; & actus non esset cum eo reconciliatus, & perfectè, quia reconciliatio perit, ut deponatur quicquid est de odio, sed odium retinendo pro tempore præterito, & habendo actum amoris pro præsentis, amicitiam cum inimicitia veluti conjungit.

Respondetur ergo melius, & claris ex eodem Scoto cit. 4. d. 16. q. 2. quod Deum odisse Petrum est ipsum ordinare ad penam, si iudicetur nimirum, quando est in reatu culpæ, & ait hanc volitionem non esse absolutam, sed conditionatam, quia si vellet peccatore statim cum peccato punire, statim puniret; autem vero, quo prosequitur beatum in patria, & quo vult ei gloriam in perpetuum, non est volitio conditionata, sed absoluta; quia à nulla conditione dependet; quævis ergo etiam nunc permanens actus ille odii in divina voluntate erga S. Petrum, tamen quia fuit volitio conditionata, & conditio non est in actu posita, nec ipse dicitur amplius Dei inimicus; nec Deus illum amplius odio prosequi, sed absolute dici debet eum amare, quia denominatio sumi debet à volitione absoluta, quæ est simpliciter volitio, non à conditionata etiam si perseveret, quæ est tantum volitio secundum quid; Tum quia etiam si permanens actus odii in divina voluntate, tamen non referatur ad Petrum pro hodiè, & pro toto tempore futuro, sed tantum pro tempore præterito in quo Christum negavit, quare ex hoc non potest inferri, Deum nunc odisse S. Petrum, sed tantum illum olim odisse. Deinde, ut probè notavit Arretius in locum citatum 4. d. 16. q. 1. artic. 3. prope finem, hominem esse Dei inimicum, non solum dicit ordinationem passivam ad penam, vel esse objectum ordinationis activæ divinæ, nam hæc ordinatio manet etiam quando homo est beatus, quia cum tali ordinatione in Deo sit æternus, si Deus semel habet talem ordinationem, in æternum habet, & etiam permanet cum beatitudine illius hominis; quia semper est verum dicere, hominem esse ordinatum ad penam æternam, si in mortali deccdat; ultra hoc ergo hominem esse Dei inimicum requirit, ut homo sit in eodem tempore, in quo, & pro quo est ordinatus ad penam, nempe in eo, in quo si moreretur, damnaretur; quare transte ab affirmatione in negationem inimicitie Dei, vel à negatione in affirmationem amicitie Dei: cum igitur S. Petrus hodiè non existat in eo tempore, pro quo erat ordinatus ad penam, sed in eo, in quo est ordinatus ad gloriam, non potest dici inimicus, sed debet dici amicus Dei, neque dici hominem esse objectum odii, sed divini amoris, quia hoc quod est præcisè transitum talis actus supra talem hominem, sed etiam pro tali, vel tali tempore, pro quo ordinatus est ad penam, vel gloriam.

QUESTIO QUINTA.

De immensitate Dei.

Quomodo Deus sit immensus, & an ex ejus omnipotentia formaliter inferatur immensitas.

ARTICULUS PRIMUS.

Resolvitur prima pars Questionis.

Deum esse immensum, & ubique reperiri per suam infinitam substantiam præteritaliter diffusam, est de fide.